Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift

5

enim fas est de aliquo angelorum uel celestium uirtutum ista sentire.
Nullum enim eorum siquando mortalibus ex celestibus precipiunt adesse
mandato dominum uel deum diuinus sermo commemorat. Hic etiam
iosue successori moysi cum astitisset percontantique ei quis
esset responsis euidentissimus designauit dicens. Princeps
milicie uirtutum domini ego sum. Cumque his auditis adorasset fa
mulus ut decebat, solue inquit ad eum corrigiam calciamenti
tui. Locus enim in quo stas terra sancta est. In quo consideranda est
preceptorum similitudo, quoniam non erat hic alius ab eo qui dixe
rat ad moysen de rubo ignis dicens. Ne appropies huc.
Solue calciamenta de pedibus tuis. Locus enim in quo tu stas.
terra sancta est. Et addidit dicens. Ego sum deus patrum tuorum, deus ab
raham et deus ysaac et deus iacob. Claruit ergo ex his omnibus quod
uerbum dei et deus et dominus et creator omnium cum patre filius designa
tus est. Nunc uero etiam illud uideamus, quomodo et sapientiam se
dei substantialiter existere idem ipse in diuinis ostendat
oraculis, per salemonem hec de semetipsa sapientia mysticis
uocibus prodens. Ego sapientia habitaui, consilium et scientiam
et sensum ego inuocaui. Per me reges regnant, et potentes
per me scribunt iusticiam. Per me proceres magnificantur, et tyran
ni per me optinent terram. Et post aliquanta iterum dicit.
Dominus creauit me inicium uiarum suarum in opera sua. Ante
secula fundauit me, in inicio priusquam terram faceret. An
tequam prodirent fontes aquarum, priusquam montes funda
rentur. Ante omnes autem colles generauit me. Quando